voluptates, vendant molestias, exerunt alios sensus di=
versos. Pulex inter cetera animalia facile deterrimus
ceco homini longo intervallo anteponendus est: huic
enim quocunque libuerit saltare, lucemque quâ fruimur
aspicere à natura permissum est: sed ceco aut semper in
eodē loco manendum, aut certè quemlibet adire, lucemque
quâ nobis nihil iucundius est, intueri negatum est.
Quid cane vilius atque despectius? at certe in altiori fe=
licitatis coelo, quàm cecus collocandus est. Huic enim no=
xia fugere, grata sectari hostemque suum declinare novit;
at cecus facile se ab animantibus devorari pateretur,
et tam cito toxicum aliquod, vel aliam rem venenatā
atque cibum bonum comederet. Quid denique asino mise=
rius atque abiectius? longè tamen ceco felicior existi=
mandus est. Nam sic (ut vetus tritumque fert adagium.)
asinus ad lapidē non bis offendit eundem, quod ceco ne=
gatum est. quot enim illius gradus, tot etiam ple=
rumque illisiones. O miserum hominē cecum! qui cum
omnibus ceteris animantibus prestare deberet, etiā ad
minimorū abiectissimorumque prestantiā et comparati=